



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XVIII. Zelus animarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

modo tangit Dominus, neque totum in desiderijs transigitur. Venite, venite fratres mei; vos sanguis, quem bonus Iesus pro horum salute profudit, inclamat gemitibus inenarrabilibus, quos nescio qua ratione non sentiant, quotquot de eius gratia communicant. Qui hos Gasparis æstus experiri volet, veniat; sperandum enim est, manum Domini non esse abbreviatam, nisi nos eam vitio nostro contrahamus.

CAPVT XVIII.

Zelus animarum.

INFLAMMATAM mortalium animos à vitijs auocandi cupiditatem, animorum zelum pij scriptores appellant. Ea virtus in Gaspare vt non fuerit maximà ceterarum, maximè sanè & plurimis sese prodidit argumentis, vt ex ijs, quæ supra commemorauimus, cuius facile constat: sed addenda tamen sunt nonnulla, vt quantum animorum lucro inhiarit, clariùs appareat.

reat. In omnem partem oculos curamque, quā poterat, conuertebat: sed negotijs longè impar, iterum atque iterum esse (quod Philosophi replicationem appellant) exoptabat. Et sanè tantus erat eius animus, ut multis corporibus vnus satis esse videretur: aliàs Conimbricenses illos feruores & Lusitana nostrorū vota, imò & Societatis vniuersa desideria expendēda sibi tradi cupiebat, habere se campos, quos singulis assignaret, in quibus eorum excurreret industria. Certè quantum poterat ipse salutari flamma succensus, tantum ceteros quā inuitando, quā cohortando, ut opitularentur, accendebat; sed audi virum, & eius ardoris vestigia inspice. Secundis suis literis ita ad socios in Europā: Quam differentes sunt excursiones istæ vestræ ab his, vtræque animorū causa susceptæ! at suaues vestræ vnius mēsis; hospitaes reperitis domos, spes est proxima in Collegiū reuertendi, quò cū veneritis, accurrunt fratres, qui amplexentur,

abluant, & fatigationem vniuersam quodammodo exprimant; solus eorum aspectus reficit. Sed ea ferè non nisi carendo cognoscuntur; cum ego me ab ijs seiunctum reperi, & animo incidit, eos me nunquam aliàs fortasse conspecturum, vel in India vel Europa, tum intellexi Societatis nostræ beneuolentiam. Hic si cecideris, non est qui erigat; non triclinium, non domum, non lectum habes; ne sub tecto quidem per æstum dormire licet, qui noctes calidiores facit magnis illis Guineæ feruoribus: hic solutorum hominum ac sæcularium deliciae sunt in vasis aqua plenis sopori indulgere, ac solo capite eminere, vbi ventilatio solatium præbet. His adde ciborum etiam, quibus frater hic vester caret, inopiam: nã pondus diei & æstus in vinea Domini portandum; noctis tempus pœnitentibus audiendis expenditur: hic nõ habes vel vnã horam tuam. Ibi suis horis vescimini; hic omninò tuum nihil habes, non fratres, non
libros,

lib
ve
no
ali
fac
tar
Do
me
tit
Di
ter
de
co
sup
fra
co
pro
vo
tos
mi
tit
tas
vig
qu
est
ven
Pa

libros, non cibum, non somnum, nō vestem, non tempus, non missam, non ipsam demū vitam. Totū est alienum, sed Domini. Quod nolo, facio, & quod volo, non facio: mihi tamen absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, in quo mea salus, & honor, & gloria innititur. Si infirmus, illo sum fortior: Dilectus meus fascicul⁹ myrrhę inter vbera mea commoratur. Tum deinde post pauca, quibus cœlestiū copiam gaudiorum exponit, quod suprā retulimus, ita pergit: Itaque fratres accuratē vobis de virtutuna com meatu in aliquod simile temp⁹ prouidete: nam sine illis omninō vos inuenietis ab omni ope destitutos. Prima est & fundamentum, humilitas profundissima, sui que notitia, obedientia, paupertas, castitas, amor maximus: hæc in India vigent. Humilitas est Dei notitia, quæ ex nobis procedit: Obedientia est nostrę captiuitas libertatis. Quis verò liber est, nisi verus obediens? Paupertas veræ diuitiæ: quis diues

est, nisi verus pauper spiritu? Castitas est speculū, in quo relucet ipsa in creatura Deus. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui colūbarum, simplex affectu intellectuque. Tandem miratur sponsus: Vulnerasti cor meū soror mea, quia similes illi virtutes sorores dicit. Ultima virtus, caritas esto, divinae palliū maiestatis, quae operit multitudinem peccatorum. Haecenus Gaspar animo suo indulgens, nunc Lusitano, nunc Latino sermone; quem ego quidem in sua reliqui efficacia, ne quid ingenij culpa detererem ex tanti spiritus energia. Sed non fratres suos solūm exhortabatur; Reges ipsos & populos eadem de causa compellabat. Ad Abyssinorum Imperatorē certē, quas scripsit, dabo litteras, pluribus eiusdem argumenti omissis, quod praeclarē & fortiter gestis supra enarratis, quivis virtutem eius facilius metiri, quā ē scriptis possit. Ad Prestetiamem igitur sic scripsit:

Gratia & amor Iesu Christi Redem-

dem-

demptoris nostri regnum ac vitam
 Tuæ Celsitudinis conseruet, Amen. *Epistola*
 Magna semper fuerunt desideria, *Gasparris*
 quæ pro sua inmensa bonitate mi- *ad Pre-*
 hi Deus ingessit, obsequium illi *ste-Ian-*
 qualecumque in tuis regnis exhi- *nem.*
 bendi. Et quoniam nõ alius est sco-
 pus meus, quàm legem ipsius omni
 creaturæ exponendi, vt cælestis Pa-
 ter eius in cælis glorificetur; non
 dubito, quamdiu cum diuina volû-
 tate mea vota conuenient, quin ali-
 quâdo sim votorum meorum com-
 pos futurus. Quaquam satis scio,
 me tam sublimi expeditione, & in-
 signi beneficio prorsus esse indig-
 num: sed cum video me ita imparẽ,
 licet à Deo electum, vt organũ suæ
 vocis, & suorum mirabiliũ instru-
 mentum, ac sentio quàm pura sint
 vota mea diuini eius obsequij pro-
 mouendi; tum quoque mihi persua-
 deo, esse id apud æternæ mentis nu-
 men constitutum. Ex homine Lusit-
 ano, qui inde veniebat (pro mea
 cupiditate res illarum regionum
 cognoscendi, & quam spem

Catholicæ doctrinæ vel ferendæ vel
 conseruandæ promitterent, intelli-
 gendi) certior factus sum, quantum
 Christianis rebus adductus, etiam
 in Ecclesiæ Catholicæ augmentum,
 in tuis illis regnis propenderes. Ea
 res multum ad antiqua mea deside-
 ria ac feruores attulit incrementi.
 Certò tibi persuadeas velim, tibi
 pro eo quod intelligimus, ingentia
 præmia & immortalem coronam à
 suprema Christi sapientia præpara-
 ri. Spero enim eorum, quæ nondum
 satis patent, declarationem & illu-
 strationem tibi reseruari: & si Deo
 ita visum fuerit, spero vita comite
 post biennium ibi me futurum. Iam
 enim scripsi facultatis impetran-
 dæ causa; ac tum experieris omninò
 non vt nunc litteris ac verbis, sed
 rebus ipsis, quantum tibi obsequi
 desiderem, & quantum status & re-
 gni in Domino cupiam incremen-
 tum: ab illo enim regimur & guber-
 namur. Atque vtinam diuinæ pla-
 ceret Maiestati, tempus illud non
 ita differre, ac me facere viuā pro
 his

his litteris epistolam ! tum enim mihi planè viderer extrema votorum attigisse: sed tamen eo me consolor, quòd hæc itineris mei mora ex eius quoque sit gloria. Nam quæ cupimus si fortè differuntur, ea deinde tanto sunt gratiora, quanto pluris constiterunt. Non sum longior, quoniam qui has defert, de Societate nostra vniuersa fusè docebit, quantoperè cupiat in ijs regionibus fructum facere. A te, Rex optime, etiam atq; etiam peto, vt in amore diuino sis admodum sincerus, & in his quæ ad eius gloriam faciunt, accuratus; certus omninò de prospero rerum tuarum euentu, de hostibus victoria, regnorum tuorum quiete ac pace, si fiduciam tuam in Deo collocaris. Cùm Lusitanis illis, qui in ijs regionibus versantur, clementia; & si quando res tulerit, necessaria reprehensione, vt Dominus ac parens, vtere. Si porrò hoc iter meum arriserit, in beneficio reponam ea de re litteris admoneri. Officium enim nostræ Societatis non est

præmia, quæstum, honores; sed paupertatem sectari, & labores ubicumque demum fuerint, conquire, & amplecti, ut ea in re sint germani sui Ducis Iesu imitatores, qui tantoperè paupertatem & labores complexus est, in quibus totam suam vitam ærumnosam insumpsit, & exercuit. Dominus noster Iesus Christus, per merita suæ mortis ac passionis, faciat Tuam Celsitudinem suæ gloriæ participem, & ei det suam semper assequi & exple-re voluntatem. Ex nostro Collegio Goæ die 9. Octobris, Anno 1552.

Ad Lusitanos, eorumque Præfectum in eandem sententiam simul scripsit, & officij Christiani commonefecit, hoc solùm nomine, etsi, ut ait, foret ipsis ignotus, quòd ut fratres in Christi sanguine eos agnosceret, & plurimùm diligeret. Non poterat animus amplius vlla prætermittere Christianæ caritatis officia; omnia aut voto complectebatur, aut opere efficiebat; ubique se

se prodebat amoris eius in Deum vel in homines incendium, quod licet tantoperè actionibus, verbis, scriptis, vt cancellis prodatur, in animo tamen eius tantò magis arde- re credendum est, quanto cum dô- mus ardet, incendium in visceribus maius est, quàm quod per fenestras erumpit. Eius sanè animus in hac re templo illi Salomonis poterit con- ferri, cuius fenestras legimus exte- riùs angustas, intus admodum didu- ctas exstitisse, vt certum sit ea om- nia, quæ foris prodita, nullo modo animi eius magnitudinem & cordis latitudinem (vt cum scriptura lo- quar) exæquasse.

CAPVT XIX.

*Quid sentiret de Societatis
instituto.*

ITa gratus fuit suæ ad Religiosũ statum vocationis æstimator, vt nullum ferè finè. faceret vel lo- quendi ea de re, vel Societatis insti- tutum euehendi. Quæ eius de illo elogia, digna tanto viro, ideò affe-

R. 6. ram.